

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Joachim Langens Verbesserte und Erleichterte Lateinische Grammatica mit einem Paradigmatischen und Dialogischen Tirocinio**

**Lange, Joachim**

**Halle, 1755**

**VD18 12464023**

Tirocinii Pars Posterior Dialogica, Continens Centvriam Colloqviorvm.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18565**

TIROCINII  
*PARS POSTERIOR*  
DIALOGICA,  
CONTINENS  
CENTVRIAM  
COLLOQUIORVM.

Bb 4

DE-



# DECURIA

## PRIMA

### DE

# REBUS MATUTINIS.

IOACHIMVS et CHRISTIANVS.

## I. De salutatione.

I. Salve, mi Christiane. C. Ago gratias: tu quoque salus sis, Ioachime. I. Non est, quod agas. C. Cur ergo salutas? I. Cur tu resalutas? C. Ex usu et vulgari consuetudine. I. Quid consuetudo? animum requirit salutio. C. Qualem vero? I. Meliorem tuo, hoc est, sincerum: quæ agit, ex adfectu agat, non ex sola consuetudine. C. Verum est: erravi, et agnosco errorem meum. I. Recte quidem: nam *erroris agnitio est dimidia emendatio.*

## II. De surgendi tempore.

I. Heus! heus! Christiane, expergiscere! tempus instat eundi in scholam: audisne? C. Non audio. I. Vbi ergo habes aures? C. In lecto ac somno. I. Quid loqueris, inepte? C. Non ineptio, sed dormio. I. Ineptis sane ac argutaris vigilans de somno. C. Certe dormio, si non auribus, tamen oculis, immo et animo: saltem (zum wenigsten) dormire volo. I. Nunc autem non est tempus dormiendi, sed surgendi. C. Mitte me, qui fessus sum: quid me turbas? I. Non te mitto, nisi nidum reliqueris calefactum: nam audita est hora septima. C. Septima? surgam. I. Immo surge. Nam *aurora musis amica*, immo aurea est.

## III. Aliud eiusdem argumenti.

I. Surgamus, Christiane: surgamus! C. Bene mones, loa-

Ioachime: surgam. I. Vtinam ad votum apostoli Pauli! C. Quale illud est? I. *Vt euigilemus spiritu, et surgamus e lecto somnoque peccatorum.* C. Memini adhuc, quod heri in schola hac de re audiui. I. *Meminisse laudabile est, sed præstare laudabilius.* C. Præstabimus ergo. I. Vtique, sed iuuante Deo: quippe qui dixit, *sine me nihil potestis, nihil valetis.*

#### IV. De induendis vestibus.

I. Quid stas, cesator? indue te. C. Non habeo tunicam meam. I. Vbinam eam heri reposuisti? C. Nescio. I. Male quidem, id enim scire debebas: meam vbi colloco, ibi inuenio. C. Nec meam arbitror furto esse ablatam: inueniam, quod amisum est. I. Sed vbi? nonne sub scamno aut sub fornace? C. Quid tum? sufficit inuenire. I. Non sufficit: *certus ac conueniens locus debetur vestibus.* C. Ecce, hic est tunica mea, ibi sunt calcei, illic tibialia. I. Arripe, indue, propera, non habet mora locum: statim accedet mater aut ancilla, quæ pectat capillos, primum raro, deinde denso pectine.

#### V. Aliud eiusdem argumenti.

I. Tenesne dicta sacra, quæ hodie recitanda sunt? C. Quænam? I. O te obliuiosum, nonne recordaris monitum præceptoris? C. Quale? non recordor. I. Ergo recitabo tibi, et quidem prius: *quotquot baptizati seu sacro baptisate Christo consecrati estis, Christum induistis.* Posterius: *induite nouum hominem, qui:* sed reliqua nondum teneo, discam autem statim. C. Discam et ego. I. Vtinam vero ad votum præceptoris, immo Pauli ac ipsius Dei! C. Quorsum illud? I. Ut de induendo Christo serio cogitemus, quoties vestes induimus corpori. C. Cogitabimus sane. I. Sed serio et sincere. Certe stola iustitiæ, quam Christus donat animæ, nihil est decentius, nihil nobilius.

## VI. Aliud eiusdem materiae.

I. Quando vides aut induis vestes, quid meministi præterea, Christiane? C. Nihil memini. I. Itane es immemor hesternæ lectionis? C. Cuius? I. Sacræ, quam tractauimus in catechismo de *immagine* Dei. C. Memini, sed quid hoc ad vestes? I. Permultum, vt audiuius. C. Quomodo autem? I. Imago seu conformitas Dei data erat homini pro veste: vnde corpore incedebat nudus, sine pudore et sine incommodo; nam ornatus animi etiam nudum corpus ornabat. C. Sed anne vestes nostræ hodie sunt satis commodæ? I. Commodæ quidem sunt corpori, cuius nuditatem tegunt: animum vero non ornant. C. Nunc recordor monitum præceptoris, dicentis, vestes esse signa amissæ diuinæ imaginis. I. Ergo *induamus Christum et in Christo totum virtutum habitum*: vestes autem corporis geramus non ad luxum; sed ad necessitatem.

## VII. De lotione.

I. Indutus sum, Christiane: ecce paratus sum! C. Vnum vero tibi adhuc deest. I. Nihil certe: dicas velim, quodnam? C. Lotio manuum ac faciei, numquam intermittenda. I. Fateor, hanc mihi restare: sed ob defectum aquæ. C. Puteus habet satis aquæ. I. Ego vero nihil. C. Ecce Annam ancillam præsto: roga, vt hauriat, et nobis adferat, quantum satis est. I. Iam adfert: hem quantum aquæ! nimium est. C. Sed caue, ne vestes conspergas. I. Tu vero, ne peluim subuertas, vt heri: aut mantile superiori parte indecenter fœdes, vt nudius tertius. C. Cauebo, et simul os meum aqua colluam.

## VIII. Aliud eiusdem materiae.

I. Cuiusnam rei signum est lotio? C. Sordium nostrarum. I. Sed hæc variæ sunt: aliæ corporis, aliæ animæ. C. Ani-

**C.** Animam non video, nec sordes eius cerno. **I.** Ergo cæcus es. **C.** Non cæcutio. **I.** Cæcutis sane, mente, et ipsa hæc cæcitas magna sordium tuarum pars est: habes ergo, quod eluas. **C.** Tunc autem iam satis mundus es? **I.** Sum utique *sanguine Christi lauatus*, sed nihilominus *continuæ lotionis indigus*. **C.** Quæ subest causa? **I.** Quia tam *multæ sordes supersunt*: et quotidie nouæ contrahuntur in mente, non secus ac in facie et manibus. **C.** Quid ergo prodest lauari, si rursus inquinari? **I.** Permultum sane: aliud etiam est rursus inquinari delictis leuioribus, ex infirmitate commissis; aliud per peccandi propositum et consuetudinem *instar suis lotæ ad volutabrum cæni redire*. Vtrumque tamen, præcipue posterius, vt fideliter constanterque caueamus, sacris litteris admonemur. **C.** Bene mones: rogabo Christum, qui discipulos suos lauit, vt me quoque lauet et mundet ab omni peccato.

## IX. De precibus.

**I.** Ades dum, Christiane: precabimur. **C.** Iam precatus sum heri et nudius tertius. **I.** Edisti etiam heri. **C.** Immo et hodie edam: iam esurio. **I.** Ergo precare etiam hodie. **C.** Precabor pro consuetudine nostra. **I.** Quid pro consuetudine? *ex animo precandum est*. **C.** Quid verò est ex animo precari? **I.** Agnoscere mentis suæ sordes, suam egestatem ac miseriam, et in hac agnitione demisse ac ardentè animum alleuare ad Deum, omnium bonorum fontem et largitorem. **C.** Ego vero te videre soleo ore orantem. **I.** Ore quidem: sed non ore solo; at lingua, animi interprete.

## X. De ientaculo.

**I.** Profit tibi ientaculum tuum, Christiane. **C.** Et tibi tuum, mi Ioachime. **I.** Miser ego nullum habeo, et stomachus tamen latrat: poscitque, quo repleatur, si non

**ex**

ex toto, saltem ex parte. C. O me felicem, et te longe feliciorem! I. Sed esne bonus puer, Christiane? C. Vtique sum bonus. I. Ergo etiam esto beneficus. *Omnis enim bonus est beneficus.* C. Erga quem? I. Erga egen-  
tem, qualis ego nunc quoque sum. C. Commodè argu-  
mentaris pro comodo tuo. I. Tu vero adde pondus ar-  
gumento meo, et felicitatis tuæ fac me participem. C. Ec-  
ce tibi partem dimidiam, præter vnum alterumque bolum.  
I. Gratias ago, Christiane, et quidem pro liberalitate tua  
liberales.

---

**DECVRIA**  
**SECUNDA**  
DE  
**RE SCHOLASTICA.**  
*POLYCARPVS et NATHANAEL.*

**I. De aduentu condiscipuli.**

**P.** Salue, Nathanael. **N.** Ago gratias, Polycarpe: unde venis? **P.** Ex ædibus patris mei. **N.** Quid adfers? **P.** Me ipsum: venio missus in scholam vestram. **N.** Hospes ac condiscipulus noster eris gratissimus. **P.** Agnosco tuum erga me amorem, et laudo. **N.** Venisne instructus libris? **P.** Nullis, vt vides. **N.** Ergo es miles sine armis. **P.** Non pugnabo, sed discam. **N.** Immo *facilius est, edere sine orbe ac cultro, quam discere sine libro.* **P.** Quod nondum habeo, comparabo. Interea mihi edisere, quid tractetis in schola vestra. **N.** Ediseram, attende. **P.** Vt vis, attendo.

**II. De**

## II. De lectionum initiis.

P. Ecquod est lectionum vestrarum initium? N. Sacrum: a Deo enim capesenda sunt rerum omnium primordia, præcipue in studiis. P. Bene facitis: sed narra, quomodo? N. Primum precamur: deinde canimus: post legimus scripturam sacram, interprete præceptore. P. Precari possum, vti et legere: sed canere nondum didici. N. *usus est magister optimus*: qui non solum verba, sed etiam numeros (Græci melodiam vocant) sensum docet.

## III. De libris.

P. Quid gestas sub pallio, Nathanael? N. Libros scholasticos. P. Ostende mihi eos. N. Ecce tibi omnes et singulos. P. Hem, quantum fasciculum video! bibliothecam mihi videris portare. N. Noli mirari multitudinem: sunt tantum septem. P. Dic, quæso, singulorum nomina. N. Primus vocatur *Donatus*, secundus *vestibulum*, tertius *orbis pictus*, quartus *vocabularium*, quintus *grammatica*, sextus *tirocinium*, septimus *liber colloquiorum*. P. O librorum, immo et impensarum nimium, sed scientiæ parum! N. Tu vero vbi tuos habes? P. Ecce hic sunt, et quidem in vno omnes. Hæc est *grammatica* mea: huius parte prima, secunda et tertia continetur *Donatus*; quarta *synaxis*, quinta *copia vocabulorum*, sexta *poesis*; appendix sistit *tirocinium et colloquia* in epitome. N. Non erras: quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. Rogabo patrem meum, vt mihi eundem librum emat.

## IV. De præparatione ad lectionem.

P. Quid agis, Nathanael? N. Præparo me ad lectionem instantem. P. Ad quam? N. Ad pensum, datum in  
ver

verbis discendis. P. Quomodo te præparas? N. Discenda lego ac relego, et quidem mente attenda et voce clara. P. Siccine procedit istud negotium? N. Quidni? non autem sufficit lectio aut relectio vna: sed vel decies, immo vicies ac tricies repetita. Sic sine molestia sensim proficio ac disco: sequere me, experieris. P. Optime mones, sequar consilium tuum.

## V. De lectionis recitatione.

P. Recita mihi lectionem tuam, Nathanael. N. Tibine Polycarpe? quis te constituit præceptorem meum? P. Si recusas in hoc negotio meus esse discipulus: ego tuus ero et tibi meam recitabo lectionem, vt recitatio coram præceptore deinde sit eo expeditior. N. Recita, attendam. P. Ita attende, vt mihi hæsitanti aut erranti subseruias (ein oder zurecht helfest) N. Subseruiam.

## VI. De attentione.

P. Perge, Nathanael, in exponendo colloquio: præceptor iubet. N. Dic statim, vbi desieris: nam nescio. P. Cur non attendis? N. Cogitabam de prandio. P. O te negligentem et edacem! Vix scholam es ingressus: et iam animum habes in patinis, qui in libris esse debebat. N. Monstra quæso, monstra lectionis tuæ terminum, ne vapulem. P. Hæc vice monstrabo: sed, si ita perrexeris, te deseram, desertus autem certo vapulabis.

## VII. De negligentia.

P. Cur frater tuus fere numquam tenet lectionem suam? N. Quia est piger et negligens. P. Vnde ipsi existit ista negligentia? N. Inter alia e vitio edacitatis siue voracitatis. P. Rem acu tangis. *Nam plenus venter non studet.*

*studet libenter.* N. Ita sane est: et frater meus pro auiditate sua semper maiorem ientaculi partem captat. P. Sed anne accipit? N. Plerumque, quod cupit, capit. Interdum vero ventrem citius replet, quam oculos. P. Rem narras, bono puero indignam.

## VIII. De diligentia.

P. Cur me adspicis, Nathanael? N. Miror diligentiam. P. Non est, quod mireris: facio, quod debeo; neque id, quantum satis et æquum est. N. Cur vero es tam diligens? P. Quia diligo. N. Quid aut quem diligis? P. Deum et studia: *Deum*, qui laborem nobis commendauit, immo præcepit; *studia*, in quibus præstantissimum est laborandi genus. N. Bene laboras, nec male philosopharis: laudo diligentiam tuam. P. Laudare non sufficit: sequi optimum est. Sin minus, diligentia laudatur et alget.

## IX. De garrulitate et ineptiis.

P. Quid garris, garrule? quid ineptis, inepte? N. Quid ad te? P. Permulum: nam me impedis. N. Hui, diligentiam huius pueri! P. Hui, negligentiam huius garruli: N. Vtor lingua, quam mihi Deus dedit. P. Num ad garrulitatem? minime. Vehementer erras: nec vteris lingua, sed abuteris. Interrogante præceptore linguæ vsum exerce: abusum inter lectiones sepone. N. Non male iudicas, fateor. P. Iniice ergo frenum ori tuo: inprimis cum Deo sit reddenda ratio de vnoquoque verbo; non solum turpi, sed etiam inepto et otioso seu inutili.

## X. De

## X. De missione scholæ.

P. Quota est hora, Nathanael? N. Cur de hora percontaris? P. Auide exspecto missionem e schola, quæ datur hora undecima. N. Vix decima audita est. P. O me miserum! N. Certe miser es, qui litteras fastidis. P. Dicamus, sonuisse undecimam. N. Nonne te pudet mentiri? num putas falli posse Deum, ac falli debere præceptorem? P. Non mentiar, nec fallam. N. Nec suaserim tibi. Nosti enim, mendacii crimen virga vindicari.

# DECURIA TERTIA

DE

## PRANDIO.

*IOANNES et THEOPHILVS.*

### I. De reuocatione a lusu ad prandium.

I. Heus! heus! Theophile. T. Quid clamitas, mi Ioannes? I. Auoco a lusu ad prandium. T. O lætum nuntium! me habes obsequentissimum. I. Non ignoro, te libentius ire ad mensam, quam in scholam. T. Nec detrectabo in scholam ire. I. Siccine scholam habes pro iugo? iugum enim dicitur detrectari et non detrectari.

### II. De præparatione ad mensam.

T. Audisne, Theophile, quid pater interroget? T. Quidnam? I. Vtrum simus parati ad preces, et bene compositi ad mensam. T. Hem! nec pexus sum, nec lotus.  
I. Ergo

I. Ergo propera. Est enim inedia periculum in mora. T. Malo pecti ac lauari, quam esurire. I. Ecce, hic habeo aquam & mantile! T. Vbi vero est pecten? I. Illic in fenestra. T. Statim me videbis paratum. I. Sed caue, ne obliuiscaris nam sum emungere. T. Emungam.

### III. De consecratione mensæ.

I. Oremus, Theophile. T. En! adsum. I. Vtrum corpore an animo? T. Vtroque. I. Id audio: sic enim decet hominem, qui constat animo et corpore simul. T. Egone, quem puerum aut Theophilum alias vocant, sum homo? I. Vtique es: da vero operam, vt sis *homo Theophilus*. T. Quid tibi vult hoc nomen? I. Significat Dei amantem: talem te nunc præsta in precibus. T. Cur vero precamur? I. Nescis? vt Deum habeamus in mensa propitium, et verbo eius appositos cibos consecremus.

### IV. De iusculo.

I. En! quid video? T. Quid est, quod vides? I. Te ipsum: primum in patina, sed vltimum seu postremum in schola. T. Mitte me, vt edam. I. Hem! cur os tantopere torques ac retorques? T. Ius, quod tantum calere videbatur, feruet. I. Sic dignam luis poenam nimie auaritiæ tuæ. T. Disce meo exemplo sapere. I. Immo gustabo et sapiam, sed sine læsione oris ac palati. T. Ipse ego posthac non edam iusculum, nisi orbe exceptum aut sorbillando exploratum. quæ nocent, docent.

### V. De carne elixa.

I. Quænam caro hæc est, quam vides in patina? T. Elixæ. I. De hoc non est dubium, nec quæstio: quis enim crudam carnem apponeret? dic, cuius sit generis? T. Est bubulæ. I. Falleris. T. Habet tamen speciem bubulæ. I. Non habet, nisi in errore oculorum tuorum. T. Estne veruecina aut agnina? I. Neutra. T. Estne suilla aut vitulina? I. Alterutra.

Ca

T. Sed

T. Sed vtra? fortasse suilla? I. Erras: est vitulina. T. Est grati saporis. I. Vtique, imprimis fame condita.

## VI. De carne asfa.

I. Gaudeamus, Theophile. T. Quæ subest causa? I. Nonne vides in culina asfam, veru adfixam et ad ignem circumactam? T. Video et gaudeo tecum. I. En! iam adfertur, et imponitur mensæ. T. Sed num mihi ac tibi? I. Spero quidem, sed non sine metu aliquo. T. Vnde eum concipis? I. Nescis? e molestia, quam matri facesiuius in culina: vnde vereor, ne irascatur nobis, asfam negatura. T. Mitte istum metum: iam dudum oblita est. I. Breui experiemur.

## VII. De piscibus.

I. Ecce pisces, Theophile, et quidem frixos. T. Cuius generis? Suntne carpiones, an percæ, an luci? I. Lucii. T. Nunc noui eos. I. Sed quale prouerbum heri audiuius de piscibus? T. Mihi non venit in mentem. I. Ergo nec piscis veniet in stomachum tuum. T. Eia, dic mihi. I. *Magis mutus es, quam piscis.* T. Nunc memini: immo succurrit aliud. I. Quale istud est? T. *Tu piscem natare doces.*

## VIII. De caseo et butyro.

I. Quomodo sapit ille caseus? T. Bene: sed saperet melius, si adderetur butyrum. I. Caseum edere vna cum butyro diuitum est. T. Nos sumus diuites. I. Ostende diuitias. T. Mea mater ipsa format caseos et conficit butyrum, quantum vult. I. Erras: dicere debebas, quantum potest pro copia lactis. T. Ergo posthac contentus ero alterutro, butyro aut caseo solo. I. Bene facies: nam vix sicco pane digni sumus. T. Indigni sumus, sed Deus tamen nec indignis negare solet obsonium.

IX. De

## IX. De potu.

I. Quoties bibere soles in prandio? T. Quoties sitio, seu ad modum sitis. I. Quo potus genere vteris? T. Optimo et maxime parabili. I. Ecquid illud est? T. Aqua. I. Hanc tibi soli serua; non inuideo: mihi placet cereuisia. T. Sed quam? I. Secundaria: primaria enim tentat caput et nocet studiis; præterea sitim magis irritat, quam restinguit. T. Ego aquam bibere pergo, quippe quæ nec mucet, nec acescit. I. Sed aqua debilitat stomachum. T. Falleris: consuetudo fit altera natura. I. Vinum tamen aqua est melius. T. Adde, et pretiosius, immo non raro multo nocentius. I. Vix crediderim. T. Crede mihi: plures enim pereunt vino, quam aqua. I. In vino tamen, secundum prouerbum, est veritas. T. Sed prodita, aut violata.

## X. De prandii fine.

I. Esne satur, Theophile? T. Nondum: sed statim ero, quando consumsero meum panem butyro illitum. I. Ergo insta dentibus cosque exerce impigre. T. Quis vrget? I. Morum qualitas ac modestia decens. T. Quid illa iubet? I. Vt pueri surgant de mensa primi. T. Præstat sedere quam ante preces discurrere. I. Datur tertium, seu res in medio posita. T. Quænam illa est? I. Ministrare mensæ, aut parentibus aliisque honestioribus conuiuis adhuc prandentibus. T. Bene mones: surgam, ministrabo. I. Sed moribus ad honestatem compositis: et animo, qui se digne parat ad preces.

**DECURIA**  
**QUARTA**  
DE  
**RE SCHOLASTICA**  
**POMERIDIANA.**

*ANDREAS et CHRISTOPHORVS.*

**I. De scriptione.**

**A.** Eamus in scholam, Christophore. **C.** Nondum est tempus discendi. **A.** Ergo nec ludendi: veni, pædagogus vocat. **C.** En adsum, iturus tecum et scripturus: sed tuo calamo. **A.** Habeo tantum vnicum. **C.** O me obliuiosum: qui non solum pennam, sed etiam chartam oblitus sum! **A.** Bono esto animo: chartam tibi commodabo; nec deerit, qui commodet calamum. **C.** Agnosco amorem tuum, Andrea, grato animo. **A.** Sed caue, ne posthac quidquam rerum tuarum obliuiscaris. **C.** Cauebo.

**II. Aliud eiusdem argumenti.**

**C.** Ioannes dedit mihi pennam mutuan, sed quæ respergit chartam atramento. **A.** Porrige mihi illam: mutabo eius cuspidem aut crenam scalpello, nisi huius acies fuerit obtusa. **C.** Apta nunc eset scribendo, nisi cuspidem haberet nimis tenuem. **A.** Porrige eam iterum, mox fiet crassior. **C.** Hem! hem! facta est duriuscula et nimis crassa. **A.** Augebo crenam, et cuspidem acuam ad minutas litteras.

**III. Aliud eiusdem argumenti.**

**A.** Vbi emisti chartam tuam, Christophore: chartam nullius

ius pretii? C. Tua non est melior. A. Est sane: non enim perfluit, sicut tua; quæ fere omnes litteras transmittit, instar emporeticæ seu bibulæ. C. Sic imposuit mihi Sempronius mercator. A. Aut potius chartarius seu chartarum confector mercatori. C. Certe pœnitet me emtionis meæ: qui non vnâ atque alteram plagulam, sed integrum emi scapum seu codicem viginti quatuor plagulas continentem.

#### IV. Aliud eiusdem materiæ.

A. Vbi est regula tua, Christophore? C. Non amplius scribo ad regulam. A. Ergo eam mihi da mutuam. C. Dabo, si mihi dederis parum atramenti. I. Ipse habes atramentum. C. Hæbeo quidem: sed est decolor, immo nimis spissum. A. Si spissum est: illud aqua dilue, dilutum penna misce. C. Factum est. A. Nunc litteras pingit munde ac eleganter. C. Malo vti atramento scriptorio seu litterario, quam futorio. A. Caue, ne subuertas thecam arenariam aut atramentarium, nec amittas thecam calamariam.

#### V. De recitatione lectionis.

C. Recita lectionem tuam, Andrea. A. Nondum eam teneo. C. Ergo eam discere: quid cessas? mox enim recitanda erit, & quidem memoriter. A. Memoria mea admodum debilis est, et recusat lecta retinere. C. Erras: nam culpa non est in memoria; sed in animo tuo, qui piger est. A. Tu vero, Christophore, quomodo comprehendis ea memoriter, quæ legis? C. Subinde me excito ad discendi ardorem: et sine vlla defatigatione aut tædio lego, quæ mihi demandata sunt: totiesque attente relego, donec pensum meum sine hæsitatione recitare possim.

#### VI. De repetitione.

A. Repetitio est mater studiorum. C. Quis ita dixit?

Cc 3

A. Pa.

A. Pater meus. C. Num etiam pater te docet domi? A. Vtique: præcipue me excitat ad repetitionem eorum, quæ in schola audiui, legi et didici. C. Siccine tibi commendat repetitionem ista sententia, quam proferebas? A. Omnino ita est. C. Iam intelligo mentem tuam. A. Nisi ego domi repetiuissem ea, quæ heri didici: iam me præceptor deprehenderet imparatum, sicut te. C. Metuo sane, ne vapulem.

## VII. De disciplina.

C. Vapulaui, Andrea: vtinam nulla esset disciplina! A. Iure castigatus es: nam qui non curat *verba*, *verbera* accipit non immerito. Certe sine *disciplina* nemo recte discit: unde nomen forsan habet a *discendo*. C. Bene mones: discam et bene me geram; ne cogar manum aut nates (sit venia verbo) ferulæ subiicere, aut asini (qui pigrorum socius est) simulacrum sustinere seu portare. A. Prudenter ages.

## VIII. De silentio.

A. Heus, Christophore! rem tibi narrabo lepidam. C. Mittere me, garrule: præceptor nobis imposuit silentium. A. Non ignoro: nec clamabimus, neque clara voce loquemur, sed admodum submisce. C. Nec submisce gariendum est. A. Quis audiet? nemo. C. Erras: Deus audit, qui ubique præsens est. A. Silebimus.

## IX. De præceptoris absentia.

A. Præceptor euocatus est: ludamus, condiscipuli! C. Tace, ludio: sin minus, ludetur in tergo tuo. A. Ecce delatorem! siccine omnia deferenda sunt ad præceptorem? C. Omnino: is enim vestri obseruationem mihi iniunxit. A. Tibine? quid te curamus? C. Ergo vos virga curabit, mentemque vestram male sanam sanabit. Quid? quod statim aderit præceptor: interea vero Deum habes præsentissimum.

X. De

## X. De testimonio diligentiae.

A. Heri non accepi merendam. C. Quae erat causa? A. Negatum diligentiae testimonium. C. Cur illud tibi negauerat praeceptor? A. Quia in studiis haud fueram diligens. C. Defectus diligentiae iusta est causa merendae negandae. A. Id expertus sum damno meo. C. Sic quae nocent, docent: et qui nihil meretur, nullam accipit merendam.

# DECURIA QUINTA DE REBUS SACRIS.

IACOBVS et MARTINVS.

## I. De scriptura sacra.

I. Quis est nouus iste liber, in quo tam attente legis, Martine? M. Est scriptura sacra, siue sacer codex. I. Hunc librum nec noui, nec habeo. M. Cares sane egregio thesauro. I. Itane hic liber thesaurus est? M. Est certe, et quidem thesaurus quouis auro praestantior. I. Cur eum habes loco thesauri? M. Quia continet verbum ac voluntatem Dei de nostra salute, imprimis aeterna: vnde eam vocare soleo epistolam. I. Qualem? M. Misam ad humanum genus. I. Si tantum est huius pretium: rogabo patrem meum, vt mihi eundem donet.

## II. De creatione.

I. Quid legis, Martine? M. Historiam creationis. I. Quis est creator? M. Deus omnipotens. I. Quid creauit? M. Mundum vniuersum. I. Quomodo? M. Ex nihilo, per infinitam suam potentiam. I. Quando? M. In principio

cipio omnis temporis creavit omnia, eaque sex dierum spatio digessit atque exornavit quam sapientissime. I. Quem in finem? M. Ut manifestaret suam potentiam, bonitatem ac sapientiam.

### III. Aliud eiusdem argumenti.

I. Quanam est nobilissima rerum creaturarum? M. Angelus ac homo. I. Quid est angelus? M. Spiritus. I. Quid est spiritus? M. Qui non habet corpus: ipsam vero angelorum naturam non intelligo. I. Quid ad nos angeli? M. Per multum sane. I. Quamobrem? M. Dati enim sunt nobis ut praesides, custodes ac comites. I. Vbi haec audiisti? M. Audiui saepe in templo, et legi in sacris litteris. Lege easdem, sic plura cognosces de angelis. I. Sequar consilium tuum.

### IV. Aliud eiusdem argumenti.

I. De homine autem quid mihi narras, Martine? M. Narra tibi ipse, quia ipse homo es. I. Cur me vocas hominem? ego sum Iacobus aut, si mauis, puer. M. Etiam pueri sunt homines. I. Cur? M. Quia constant e corpore et anima immortali, uti vides. I. Corpus video, animam non video.

### V. Aliud eiusdem materiae.

I. Monstra mihi animam tuam, Martine? M. Monstro te tibi ipsi. I. Me equidem video, immo tango: sed animam meam tangere non possum. M. Anima nostra est spiritus: ideoque nec videri, nec tangi potest. I. Fortasse eam plane non habemus. M. Habemus utique, eamque intra nosprehendimus. I. Quomodo? M. Nonne nos mouet atque animat? nonne sola anima est: quae in te cogitat, intelligit, iudicat, desiderat atque amat? I. Iam percipio in me vim animae. M. Immo ne loqui quidem posses sine anima.

VI. De

## VI. De morte.

M. Cur fles, Iacobe? I. Quia soror mea mortua est. M. Doleo, et tecum lugeo. Sed ubi nunc est? I. Mortua est, ut audiuisti. M. Itane plane periit? I. Corpus quidem video, sed exsanguis et vitæ expers. M. Nunc vides, quid corpus sit sine anima. I. Video: sed ubi anima sororis meæ sit, nescio. M. Fuitne soror pia? I. Fuit sane. M. Ergo eius anima est in cælo, in sede beatorum.

## VII. De reditu in vitam.

I. Cras non potero venire in scholam. M. Quamobrem? I. Sepelietur soror mea. M. Video te nunc hilarem: cur non amplius luges? I. Quia audiui, eam aliquando excitatum iri et redituram esse in vitam. M. Quando? I. Die huius mundi extremo. M. Interea tamen mortem meditabimur. I. Bene mones: nam etiam nos mortales sumus.

## VIII. De extremo iudicio.

I. Cur ita contremiscis, Martine? M. Fulgurat, et mox tonabit. I. Meminerimus iudicii extremi: ubi Deus inter fulgura et horrenda tonitrua nos citabit ad tribunal suum. M. Quem in finem? I. Ut ipsi, tamquam supremo iudici, rationem reddamus vitæ nostræ. M. Simulabo, me fuisse pium. I. Pudeat te simulationis tuæ, impudens simulator! num putas, fieri posse, ut Deum fallas? M. Agnosco errorem meum: et, me errasse, fateor. I. Non solum errorem: sed etiam malitiam tuam agnosce, et exue.

## IX. De vita ac morte æterna.

I. Eheu! migravit hinc Christophorus, amicus noster. M. Quorsum? I. Ad vitam æternam, depositis corporis exuviis. M. Quando? I. Hodie circa horam septimam matutinam. M. Heu! optimum Christophorum! I. Recte eum vocas optimum: nam Christum ferebat in animo, ut nomen eius

Indicabat. M. Ergo nec dubito, eum frui vita æterna. I. Nec est, quod dubites: pii enim moriuntur beate; sed impii post hanc vitam subeunt mortem æternam.

## X. De desiderio rerum cælestium,

I. Sequamur Christophorum, Martine. M. Non possum. I. Quidni? M. Dic, quomodo et quorsum? I. In cælum per sancta vitæ cælestis desideria. M. Eum tamen non adsequemur, nec reducemus in hanc vitam aut has terras. I. Neque id tentabimus: sed per sancta suspiria abducemus animum ab huius mundi vanitatibus, ut paratus sit ad beatam mortem. M. Nescio, quando moriturus sim. I. Ideo obseruare debemus dies singulos, quia nos latet vnus. M. Videris mihi esse sapiens. I. Da operam, ut etiam ipse sapias: nam *mortem salutariter meditari, est sapere.*

# DECURIA SEXTA DE VIRTUTIBVS. PAVLVS et ARETOPHILVS.

## I. De nomine Aretophili.

P. Salue, mi Aretophile! A. Ago gratias: tu quoque saluus sis, Paule! P. O quam præclarum habes nomen, Aretophile! A. Quænam est nominis mei præstantia? vel quid significat? P. Virtutis studiosum seu amatorem. A. Quid est virtus? P. Audio: *nomen virtutis tantum geris, ipsa quid valeat, nescis;* quemadmodum de te et tui simi-

milibus loquitur *Cicero*, qui tamen nec ipse eius vim intellexit. A. Ergo me doce eam. P. Age docebo te pluribus.

## II. De auctore seu fonte virtutum.

A. Vnde est aut oritur virtus, carissime Paule? P. A Deo, summo ac perfectissimo bono: ut omnium bonorum auctore, ita etiam virtutum fonte inexhausto. A. Quomodo haurimus ex hoc fonte? P. Per preces, animo Dei dona in se deriuante ac sincero: qui etiam ipse Dei donum est. A. Ergo, ut intelligo, extra communionem cum Deo nulla est virtus, nullum virtutis exercitium? P. Recte intelligis: incipis iam sapere per Dei gratiam.

## III. De sapientia.

A. Quid vero est sapere? P. Spiritu Dei ita illuminari, ut gustum percipiamus in virtutibus ac in communiōe cum agnito Deo. A. Quid præterea? P. Nihil. Num quid præter Deum et illuminatæ mentis virtutes requiris? A. Non requiro quidem: sed tamen scire aueo, ane omnes homines sapiant? P. Paucissimi hominum possident sapientiam. A. Quæ subest ratio? P. Quia Deum non timent: nam *timor Dei est sapientiæ initium.*

## IV. De timore Dei.

A. Quidnam est timor Dei? P. Iam audiisti: *sapientiæ initium*, immo *virtutum omnium complexus*. A. Hæc nondum satis intelligo. P. Ergo tibi declarabo. A. Exspecto declarationem tuam auidè. P. Qui Deum rectè timet, is eum vere agnoscit, reuerenter amat et eius iussa exsequitur: atque is voluntati eius fit conformis. A. Ut audio, ardua res est timor Dei.

## V. De

## V. De amore Dei.

A. Quid est amor Dei? P. Est fructus spiritus ac fidei.  
 A. Quid continet? P. Adfectum animi sincerum, qui semper versatur in actione virtutis: hoc est, homo Deum amans, lubenti animo omnia christianismi officia peragit. A. Talem adfectum seu animi habitum mihi opto. P. Deus det eum utrique nostrum.

## VI. De tribus virtutibus primariis iuuentutis.

A. Tres sunt virtutes, quæ præ reliquis, ut audiui, ornant iuuenem. Nostine eas, Paule? P. Non noui eas, scire tamen velim. A. Prima est *obedientia*. P. Hanc bene noui. A. Fortasse de nomine tantum. P. Quidnam præstat obedientia? A. Frangit animi pertinaciam, et pueros reddit in omnibus morigeros. P. O præclaram virtutem, meoque fratri, inobsequenti illi, admodum necessariam! A. Adde: et mihi ipsi. P. Cur non potius utrique nostrum? A. Inuocabimus Deum, ut nobis largiatur animum obsequentem. P. Bene mones: sed ita a nobis inuocandus est Deus, ut largienti aut largituro animum patientem sermittamus seu offeramus.

## VII. De amore veri.

A. Quænam est secunda virtus, pueros præ reliquis ornans? P. *Amor veri*. A. Quid efficit? P. Arcet mentiendi libidinem, mentemque reddit serenam ac sinceram. A. Studebimus huic virtuti: audiui enim, mendacium esse ex diabolo. P. Recte audiuisti. Nam diabolus est spiritus mendacissimus et pater mendaciorum. A. O quam multos filios habet hic pater! P. Non nego: nec possum negare, quia reclamat experientia, testis huius rei locuples. A. Vitabimus hoc vitium, ut etiam eius auctorem, satanam, vitemus. P. Sed caue, mi Aretophile, ne mentiaris hac tua promissione. A. Non mentiar, quæ Dei erit gratia: memor dicti Paulini, *deposito mendacio loquimini verum*. Eph. IV, 25.

## VIII. De

## VIII. De diligentia.

A. Restat tertia virtus ex iis, quarum studium pueris commendatissimum esse debet. P. Hanc facile coniectura adsequar. A. Ergo coniecta. P. Nonne est *diligentia*? A. Est: Rein acu tetigisti. P. Nec mirum est, quia ego sum diligens. A. Sed propria laus sordet. P. Ergone mentiar et discedam a commendato amore veri? A. Nequaquam. P. Mendax tamen essem: si dicerem, me ignauum esse. A. Aliud est ignauiam suam adlegare: aliud, diligentiam iactare. P. Non sum iactator, sed tantum testis diligentiae meae. A. At nescis, tellem non valere in causa propria?

## IX. De virtutum exemplari perfectissimo.

P. Equis est optimus virtutum omnium magister? A. Christus Iesus, seruator noster. P. Quam ob causam? A. Quia perfectissime ipse praestitit, quod perfecte docuit. P. Ergone solus Christus erit imitandus? A. Omnino: ita tamen, ut eos quoque amulemur, qui etiam ipsi Christum vere imitantur. P. Utinam omnis vitae nostrae actio sit Christi imitatio.

## X. De oppositis vitiis.

P. Quid est vitium, Aretophile? A. Est morbus, immo pestis animi. P. Quomodo pellitur hic morbus? A. Per studium virtutum: nam qui virtutem induit, vitia exuit; qui virtutes amat, vitia odit. P. Quodnam vero vitium est iuuentuti nocentissimum? A. Philautia. P. Ergo huic morbo per Dei gratiam medebimur.

---

# DECURIA SEPTIMA DE REBUS VARIIS.

Va.

VALENTINVS et HERMANNVS.

## I. De horto.

V. Vnde venis, Hermanne? H. Ex horto. V. Quid inde adfers? H. Flores varios. V. Immo fasciculum florum odoratum, vt video: quis eo te donauit? H. Hortulanus, vir probus et mei amantissimus. V. Sed cur non adfers pruna, immo mala et pira? H. Pruna iam comedi: sed reliqua poma nondum maturuerunt. V. De floribus vero numquid cogitas? H. Quidnam? V. Nos fumus instar florum; adeo, vt aliquando de nobis ipsis cum poeta dicere possimus:

*Nos quoque floruius, sed flos fuit ille caducus.*

## II. De agro et messe.

V. Quo tendis, Hermanne? H. Eo rus in agrum nostrum; vbi sunt mesores nostri, nostræque ancillæ. V. Quid ibi peragunt? H. Mesores metunt fruges, quas deinde ancillæ colligant tomicibus: colligatas vocamus mergites seu manipulos. V. Iam memini egregiam sententiam. H. Profer eam. V. *Vt sementem feceris, ita et metes.* H. Sed sæpe pro bene factis malam messem metimus, vt itidem in prouerbio est.

## III. De frigore et igne.

V. Cur non scribis, Hermanne? H. Digni mei rigent frigore: nec est ignis in fornace, vnde museum calefiat. V. Age, excitabimus ignem folle. H. Follis adest, sed lignum deest. V. Ecce lignum: hic est. H. Noui, sed est humidum: arido opus est. V. Cur non sufficit humidum? H. Quia igni admotum nil nisi fumum producit: fumus vero infestat oculos.

## IV. De pluuia.

V. Cur venis tam sero in scholam? H. Tempestas, cuius transitum expectabam, me retardauit: sicuti heri te remorabatur

batur pluvia. V. Iamne defæuiit? H. Defæuiit quidem: sed ab oriente rursus surgunt nubes atræ, pluuiam minantes. V. Immo fortasse imbrem aut nimbum. H. Exspectemus, quid serus vesper sit aduecturus. V. In primis, si suborta fuerit procella.

## V. De merenda.

V. Hodie non accipies merendam, Hermanne. H. Quid commisi aut intermisi, cur habear indignus merenda? V. Intermisisti diligentiam in schola. H. Quid hoc ad merendam? V. Permultum: nam merenda nomen habet a merendo: nec datur, nisi bene merentibus aut bene meritis. H. Argute philosopharis, sed in damnum meum. V. Quilibet fortunæ suæ faber.

## VI. De equis.

H. Conscendamus hunc equum, Valentine. V. Difficilis est adscensu, immo ferit calcitrando. H. Nos non feriet. V. Comperies. Certe enim hic rufus est audax, sternax et admodum effrenis, qui sesorem suum facile excutit. H. Adducam habenas, quas alii remittunt. V. Ne admittit quidem habenas, sed eas detrectat. H. Mittamus ergo equos. V. Bene mones: quid enim nobis est rei aut commercii cum equis, qui sumus studiosi litterarum?

## VII. De canibus.

V. Caue, caue, Hermanne! H. Quidnam? V. Canem, et quidem catenarium ad fores. H. Quis eum in me immittet? V. Ille se ipsum. H. Non credo, eum esse rabiosum: non enim latrat. V. Est tamen mordax. H. Proliciam illi lapidem, in eum sæuiat. V. Noli eum irritare. H. Abeamus hinc. V. Quorsum? H. Vnde venimus. V. Exspecta parumper. H. Non est tempus expectandi, sed properandi: quia vespera ingruit.

## VIII. De

## VIII. De morbo.

V. Cur frater tuus hodie non erat in schola? H. Laborat morbo. V. Quonam? fortasse pigritiæ. H. Minime, sed feбри. V. Ego heri etiam æger eram capite, quod mihi dolebat: et tamen scholam frequentabam. H. Ego vero sæpe laboro pedibus, qui recusant ire in scholam. V. Sed eunt tamen? H. Omnino eunt: nam timor virgæ etiam inuitos pedes currere cogit. V. Faxit Deus, vt nobis sit mens sana in corpore sano.

## IX. De voce et risu.

V. Quid clamas, Hermanne? H. Non clamo, sed tantum clara voce loquor. V. Vox tua non solum clara, sed etiam clamosa est: quæ hic tantam submissa esse debebat, ne e somno excitetur Fridericus, qui ægrotat. H. Vbi decumbit? V. In proximo cubiculo. H. Remittam vocem, non intendam amplius. V. Abstineamus etiam a risu. H. Omnino, ita decet puerum. V. Subridere, et quidem tempestiue, humanum est: sed cachinnum tollere et risu concuti seu effuse ridere, decet neminem, nedum ingenuos pueros. H. Cauēbimus igitur, ne quid temere vertamus in risum aut alios irideamus: probe memores versus illius notissimi,  
*Per risum multum debes cognoscere stultum.*

## X. De quatuor coniugationibus.

H. Recitasti hodie coniugationes in schola? V. Recitavi, sed tantum primam *amo* et ultimam *audio*. H. Ordo coniugationum non est conueniens scholæ seu disciplinæ: saltem disciplina coniugationes rectius, quam grammatica, ordinat. V. Quomodo ergo? H. Initium facit ab *audio*: certe tamen post *amo* statim collocat *audio*. V. Quamobrem, seu quo sensu? H. Ante omnia oportet *audire* puerum, quid præceptor doceat et moneat; deinde *amare* ea, quæ audiuit, et velle morem gerere ac proficere: aut, si mauis, primum amet sapien-  
 iam

nam et studia; amor vero exacuat sensum attente audiendi. V. Quid postea? H. Statim legendum frequenter: et discendum libenter. V. Sic *lego* retinet locum tertium. H. Retinet omnino: sed *doceo* suo loco mouetur, et quartum accipit seu vltimum. V. Quæ subest ratio? H. Id postulat natura disciplinæ: nemo enim recte *docere* potest alios, nisi antea diu multumque *audiuerit* attente, *amauerit* impense et *legerit* seu didicerit quam diligentissime litterarum studia. V. Bene philosopharis in ipsa grammatica. H. Cur vero quatuor coniugationibus præmittitur *sum*? V. Quia *esse* seu *existere* debet in rerum natura: qui vult *audire*, *amare*, *legere*, *docere*.

---

**DECURIA**  
**OCTAVA.**  
 DE  
**REBUS VARIIS.**  
*ARNOLDVS et NICOLAVS.*

I. De via.

**A.** Quo tendis Nicolae? **N.** Recta in hortum Friderici. **A.** Hæc via eo non fert: sed ista satis trita, etsi plauris inuia. **N.** Lutosâ illa et accliuis, nec lapidibus strata? **A.** Progredere modo alacriter: mox erit decliuis, arida et satis iucunda. **N.** Non videtur vero esse compendiaria. **A.** Est sane, nisi quæsiueris diuerticula: hoc est, nisi ab eadem ad dextram vel ad sinistram deflexeris. **N.** Persequar hunc callem sine errore, gradumque accelerabo.

Dd

II. De

## II. De alauda et luscinia.

A. Audiui heri alaudam, veris nuntiam. N. Nonne etiam lusciniam? A. Nondum: hæc enim non veris sed æstatis est prænuntia. N. Vtra vero canit suavius? A. Luscinia: insignis tamen est etiam vocis seu cantus præstantia in alauda. N. Omnino: ideoque nomen habet a laude; laudat enim Dominum, creatorem suum. A. Scita est hæc nominis ratio. N. Nos vero inde discamus, multo magis Deum laudare. A. Id omnino æquum est: dedit enim nobis vocem humanam et articulatam. N. Interea vero gaudeo, appropinquare tempus, quo possimus avium nidos inuestigare.

## III. De apibus.

A. Quid edis, Nicolae? N. Panem melle illitum pro butyro. A. Quomodo sapit? N. Dulcissime. A. Quisnam conficit mel? N. Apis: non autem vna, sed plures. A. Vnde illud conficiunt? N. E florum succis. A. Admiranda certe est natura apum. N. Immo admirandum sane artificium est in mellificio. Dicuntur etiam ducere examina. A. Sicut nos in schola nostra? N. Minime, sed nouam progeniem emittunt. A. Quid præterea obseruas in apibus? N. Permulta: sed nunc sufficet, duo adhuc meminisse. A. Dic quæso. N. Habent aculeum, cuius emissione nocere possunt cuti: et formant ceras tenaces. A. Age, simus cera tractabiliores.

## IV. De ingenio.

A. Salue, Nicolae ingeniose. N. Cur me vocas ingeniosum? A. Quia es ingenio acuto. N. Ego sane nullum mentis acumen in me deprehendo. A. Sufficit, alios id deprehendere. N. Nec tuum ingenium est tardum ac obtusum. A. Falleris, Nicolae: non enim habeo ingenium in promptu, vt cogitando facile possim quiduis adlequi.  
N. Cer-

**N.** Certe tamen iudicium tibi non deest. **A.** Vnde hoc colligis? **N.** Quod non cares iudicandi solertia. **A.** Crede mihi, Nicolae: si, quod verum est, fatear, neuter nostrum habet, cur se efferat. **N.** Facile tibi assentior. **A.** Ergo nos de nobis sentiamus demisse.

## V. De mendacio.

**N.** Cur heri non fuisti in schola, Arnolde? **A.** Carebam calceis. **N.** Mentiris: nam vidi te ambulantem in foro. **A.** Rogo te etiam atque etiam, ne dicas præceptori. **N.** Ergo mentitus es. **A.** Fateor, modo præceptor non resciat. **N.** Deus tamen nouit. **A.** Ille me non cædit virga. **N.** Grauisime erras: noli irritare ad vindictam Deum, seu seruum iudicem, cuius virga peccatoribus aliquando erit intolerabilis. **A.** Etiam mendacibus? **N.** Omnino: nam imitantur diabolum, spiritum mendacissimum. **A.** Non mentiar posthac. **N.** Faxit Deus, vt serues promissa.

## VI. VII. De furto et mendacio.

**N.** Vbi et a quo accepisti illum anulum, Arnolde? **A.** Inueni eum in platea. **N.** Quando? **A.** Nudiùs tertius, quum venirem e templo. **N.** Sed ego illum adhuc heri vidi in digito amitæ tuæ, Sabinæ. **A.** Illa eum fortasse amisit. **N.** Mendacem oportet esse memorem. **A.** Cur me vocas mendacem? **N.** Non solum es mendax, sed etiam fur. **A.** Quid abstuli? **N.** Anulum. **A.** Id vix probabis. **N.** Iam satis probaui: immo tu ipse probasti, seu confesus es. **A.** Quibus verbis? **N.** Credisne, me anulum heri vidisse hærentem in digito amitæ tuæ? **A.** Id non negabo. **N.** Quando vero tu eum inuenisti in platea? **A.** Ante tres dies. **N.** Ecce mendacem sui immemorem: qui inuenire potest, antequam aliquid amisum est. **A.** Fateor furtum et mendacium. **N.** Sane pudeat te vtriusque: in primis mendacii,  
Dd 2 quod

quod turpissime a te iteratum est. A. Crede mihi: non solum facti me pudet, sed etiam poenitet atque piget. N. Utinam ferio.

## VIII. De ira et odio.

N. Cur irasceris, Arnolde? A. Titius me fuste percussit. N. Putabam, Titium esse amicum tuum. A. Ex amico factus est inimicus, odio dignus. N. Erras, Arnolde: nam debemus etiam hostes nostros diligere. A. Sed illi nos non diligunt. N. Nec nos Deum amauimus: et ille tamen nos amat impense, ut ipsum redamemus et simul amore completamur inimicos nostros. A. Bene mones: ignoscam Titio, ipsumque amabo.

## IX. De animo ingrato.

A. Vnde accepisti nouum istum librum, Nicolae? N. Ab auunculo meo. A. Num ipsi gratias egisti? N. Oblitus sum, nec opus fuit gratiarum actione. Non enim postulauit eam auunculus. A. O ingratum hominem: qui non vult gratias agere, nisi exactas! Fuitne tibi gratus liber? N. Fuit omnino, et adhuc est. A. Vide impudentiam tuam: liber est gratus tibi, tu vero es ingratus erga eius datorem. N. Agnosco errorem ac vitium meum. A. Sed ita illud agnosce, ut emendetur.

## X. De maledicentia.

A. Cur tam tristis incedit Valentinus? N. Luit poenam linguae. A. Qualem habet linguam? N. Maledicam, qua conuiciatus est fratrem suum. A. Quomodo? N. Vocauit eum asinum et hominem nequam: reliqua conuicia taceo. A. Fortasse par pari retulit maledictis lacesfitus a fratre. N. Minime: frater eius neminem solet incescere probris. Neque si illum incesisset, id ipsum excusaret: nam, maledictis et malefactis par pari referre, christiana lege vetitum est.

# DECURIA NONA DE COENA.

*CHRISTIANVS et POLYCARPVS.*

## I. De instruenda mensa.

**C.** Sterne mensam, Polycarpe: eamque rebus necessariis instrue. **P.** Iam factum est: sed mappulæ manuales sunt immundæ; nec satis conueniunt recenti seu mundiori mappæ, quam mihi mater suppeditauit e cista. **C.** Hæc cura esto matris: modo mundi sint orbes, nec negligatur appositio panis, salini ac poculorum. **P.** Omnia parata sunt. **C.** Cura, vt apponantur cibi. **P.** Ecce, iam adfert famulus sercula. **C.** Mallem ipse esse dapifer.

## II. De ciborum varietate.

**C.** Qualis est hic cibus? videtur esse crudus. **P.** Erras: est coctus seu elixus. **C.** Ego mallem asfam edere. **P.** Quid n. et frixum? scilicet pro palato tuo delicato, quod vel sola pulte contentum esse debebat. **C.** Nec tantum mihi est fastidium cibi vilioris, quantum mihi tribuis: non recuso tamen carnem grati succi ac saporis, in primis recentem ac iurulentam. **P.** Cur non etiam fumo induratum, aut muria conditum? **C.** Quia confectum est difficilior et parum habet nutrimenti.

## III. De siti ac potu.

**C.** Fauces meæ iam arent siti. **P.** Igitur eas riga. **C.** Nemo est, qui mihi potum ministret. **P.** Esto tibi ipsi minister. **C.** Neque adest cereuisia, nisi admodum tenuis seu

secundaria. P. Talis potus conuenit pueris, et litterarum studiis: nam cerebrum haud tentat aut turbat. C. Sed acescit. P. Mentiris: est defacata, bonæ notæ, ac grati saporis. C. Ergo bibam cereuisiam, tantopere laudatam. P. Ita vero, ne poculum sine respiratione exhaurias. Desine, desine, Christiane: ut circumagatur seu obambulet poculum, et nobis quoque nostra portio supersit. C. En, capesse.

#### IV. De fame et edacitate.

C. Cur tam auide voras Polycarpe? P. Vehementer esurio: *fames vero optimum est condimentum.* C. Si esuris, ede: nec vora distentis buccis, ita ut plenos ac dentibus non comminutos bolos deglutias, et quidem seposito pane: nec tantum cibi in osingere. P. Sed sapit egregie. C. Ergo sedita saporem paullatim, nec te obrue nimia ingurgitatione cibi. P. Morem tibi geram. C. Vide, quam foede te inquinaueris, cibus ex ore defluentibus. P. Abstergam me mappula. C. *Gestus edendi mundus esto atque modestus.*

#### V. De sale.

C. Porrige salinum, Polycarpe: nam hic cibus insulsus est, seu caret sale. P. Mihi quidem videtur esse praesulsus seu nimium habere salis. C. Certe subsulsus est, seu aliquantulum habet salis. P. Edamus, desinentes disputare de sale: ne quis vtrumque nostrum iure vocet insulsus, hoc est, sapientiae sale haud conditum.

#### VI. De ouis.

C. Quænam gallina peperit hæc oua? P. Nostra. C. Illanè, quam heri vidimus ouis incubantem? P. Alia est: Illi vero oua ideo supposita sunt, ut inde pullos excludat. C. Hoc videre gestio. P. Videbis: sed nunc vide, ne fracta testa diffuat oui albumen cum vitello. C. Tu vero discce, quid

quid significet prouerbum: *mali corui, malum ouum*. P. Eius sensum tibi explicabo: si mihi exposueris aliud de ouo prouerbum, nempe *ab ouo vsque ad mala*. C. Hoc est, a cœnæ principio vsque ad finem. Nam apud veteres oua incipiebant cœnam, poma claudebant. P. Certe *non ouum ouo est similius*, quam tu bono interpreti: qui ne quidem eges prioris adagii explicatione.

## VII. De aduentu conuiuæ.

P. Accede, Christiane: nondum enim te absente omnia sunt peresa. C. Ago gratias pro inuitatione vestra: fames me non exstimulat. P. Nihilominus adiunge te nobis conuiuam: et ede, quantum libet. C. Saluete, fautores et amici: bene sit vobis cœnantibus! P. Et tibi nobiscum cœnatura. Occupa hanc sellam aut istam, vbi tibi erit sedes commodior. C. Gratulor mihi de vestra societate et amicitia. P. Et tu nobis es gratus: sed longe eris gratior, si expedito cuitro, ipse manum admouebis patinæ. C. Facio, quod imperatis. P. Non imperamus, sed rogamus amicum amice.

## VIII. De cancris.

C. Restant cancri, Polycarpe. P. Sed hi tibi non sunt destinati. C. Ex parte tamen. P. Credo equidem, si sciueris prouerbia quædam de cancris. C. *In morem octipedis procedunt omnia cancri*. P. Video te esse doctum, immo doctiorem Sempronio. C. Certe *cancrum lepore comparas*. P. Immo tu doctissimus es. C. Quid iocaris? P. At cur Sempronium vocas leporem, te autem cancrum? C. Absit ista interpretatio, a re ipsa et a mente mea aliena. P. Sed edamus: nam loquentibus nobis dati sunt cancri. C. Aut potius cancelli.

## IX. De philosophica temporum interpretatione.

C. Quid didicisti hodie in schola, Polycarpe? P. Quid



hoc ad cœnam? C. Permultum: omnis enim cœna con-  
 dienda est aliqua lectionum repetitione. P. Didici ex coniu-  
 gatione prima *presens, imperfectum, perfectum, plusquam-*  
*perfectum et futurum.* C. Videris mihi simul philosophari,  
 Polycarpe. P. Egone? vix credo. C. Sin minus, me au-  
 di philosophantem. P. En ausculto arrectis auribus atten-  
 taque mente. C. Omne *presens* in hac vita est *imperfectum*,  
 nonne? P. Nondum satis percipio mentem tuam: sed per-  
 ge philosophari. C. Omne *perfectum* et *plusquamperfectum*  
 est *futurum*: scilicet in vita æterna. P. Nunc te intelligo,  
 philosophe. C. Quæ quum ita sint: *presentibus*, quæ *im-*  
*perfecta* sunt, ita vtamur, vt frui possimus *perfectis* et *plus-*  
*quamperfectis*, certo *futuris*.

## X. De mensa secunda seu bellariis.

P. Surgamus, Christiane: et adstemus mensæ mox cibos  
 seposituri. C. Exspecta parumper, mi Polycarpe: nam video  
 in proximo conclavi instrui patinam vuis, pomis et nucibus.  
 P. Sed non pro nobis. C. Quidni? noui animum matris,  
 quæ nobis raro aliquid negare solet. P. Ergo roga illam de-  
 misse. C. Exspectandum erit adhuc paulisper, donec appo-  
 situm fuerit egregium illud ferculum.

# DECURIA DECIMA DE REBUS COENAM INSEQVENTIBVS.

PAEDAGOGVS et DISCIPVLVS TIMOTHEVS.

## I. Decantione.

P. Porrige mihi librum cantionum, Timothee. T. Quem  
 in usum? P. Vt canamus: solemus enim precibus, qui-  
 bus

bus Deo gratias agimus pro cœna, addere vnam atque alteram cantionem. T. Ego nondum possum canere. P. Discendum est, quod nescimus. Ipsi etiam angeli suo exemplo nobis musicam commendarunt. T. Quando et quomodo? P. Nonne audiisti angelicam illam cantilenam; *gloria in excelsis Deo!* T. Probe noui: et operam dabo musicæ, quia tanta eius est præstantia,

## II. De lectione sacri codicis.

P. Vbi substitimus heri in lectione scripturæ sacræ? T. In fine capitis quarti sancti euangelistæ Ioannis. P. Vix crederam, te notasse caput. T. Non solum illud notavi: sed etiam plurima, quæ circa illud monuisti, adhuc memini. P. Pergemus nunc ad caput sequens legendum cum epitome præmisfa. T. Totumne legam? P. Omnino: et quidem voce clara, tarda atque distincta; mente vero attenta ac pia.

## III. De ambulatione.

P. Tempus est eundi cubitum, Timothee. T. Vix audita est hora octaua. P. Erras, mox audietur nona. T. Permitte quæso, vt vsque ad nonam hic maneam apud matrem. P. Vt discursare possis: noui enim morem tuum petulantem. T. Absit a me omnis petulantia. Tantum meabo paullulum; memor sententiæ, quam nuper in schola discebamus. P. Cuius? P. *Post cœnam stabis, vel passus mille meabis.* P. Sufficere possunt ducenti.

## IV. De repetitione.

P. Para te ad repetitionem, Timothee. T. Putabam eam hodie omisum iri. P. Numquam omittenda est: nam crebra repetitio est quasi anima studiorum. T. Nec eam detrectabo: non poterunt tamen omnia repeti. P. Neque hoc postulo: sufficiat recognouisse singula summatim. T. Non inuenies me imparatum. P. Id experiar.

## V. Aliud eiusdem argumenti.

P. Quid retinuisti e lectione sacra? T. Inter alia recorder e Matthæi capite tertio illa Ioannis baptistæ verba: *agite, inquentis, pœnitentiam; nam appropinquauit regnum cælorum.* P. Quomodo interpretatus sum vocem *pœnitentiæ*? T. De mentis nostræ immutatione ac renouatione. P. Efficiat Deus, vt experiaris re ipsa, quod nuda tenes notitia. Quid e grammatica et aliis lectionibus obseruasti? T. Permulta, crede mihi. P. Non sum tam credulus, antequam probaueris diligentiam tuam. T. Eam tibi satis probabo.

## VI. De precibus vespertinis.

P. Posthac repetamus plura: repetitioni succedant preces. T. Quales? num ex præscriptis formulis, an ex libero animi adfectu verbis citra præmeditationem conceptis seu prolatis? P. Utinam orare posses modo posteriori, qui sæpe melior est priore. T. Rursus tentabo, sicut alias facere consueui. P. Consueuisti, quod non omnino approbo: non enim consuetudo, sed intimus animi adfectus nos ad preces impellere debet.

## VII. De exuendis vestibus.

P. Sine mora exue vestes, Timothee. T. Exuam, vt præcipis: et quidem celeriter, vrgente somno. P. Esto autem simul memor dicti Paulini: *Exuite veterem hominem.* P. Sed quid est homo vetus? P. Homo vetus, vt sæpe audiuisti, est naturæ nostræ labes, a prima nostra origine attracta: hæc magis magisque exuenda est. T. Sed quomodo, in primis sub noctem? P. Ita, vt in conscientiæ examine exploremus præteriti diei acta, variaque nostra errata: et ea serio emendemus. T. Quomodo autem fit ea emendatio? P. Vera agnitione, demissa deprecatione, et serio proposito emendationis.

VIII. De

## VIII. De lecto.

P. Confer te in lectum, tamquam ad letum. T. Quid significat letum? P. Mortem. T. Putasne me hac nocte moriturum esse? P. Non quidem hoc arbitror: fieri tamen potest, ut moriaris. T. Ego potius dormiam. P. Sed somnus est mortis imago. T. Fortasse respicis versiculum: *stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?* P. Hunc ipse respice, mortemque ac sepulcrum tuum meditare: sic non eris stultus, sed sapiens.

## IX. De nocte.

P. Composuistine te ad somnum? T. Vtique me composui. P. Ergo obdormisce: mox exstinguetur candela. T. Sic atra nox me terrebis. P. Non habebimus noctem obscuram, sed sublustrem. T. Ego nihilo minus terreor. P. Cape somnum oculis; et timorem Dei, fiducia plenum, animo: sic nullus erit terror tenebrarum.

## X. De custodia angelorum.

P. Quid te adhuc iactas in lecto, inquiete? T. Fortasse ducam totam hanc noctem insomnem. P. Qua de causa? T. Metus mihi adimit somnum. P. Quid metuis? T. Tenebras, immo mures et spectra. P. Omitte istum metum, nam vanus est: habes sanctos angelos custodes. T. Vbi sunt: eos non video. P. Nec possunt videri: tamen reuera adsunt, et pro nobis agunt excubias. T. Experiar, an capere possim somnum. P. Quiesce placide. T. Ego tibi quoque, carissime praeceptor, placidam noctem apprecor.

INDEX.

# INDEX.

<p style="text-align: center;">A.</p> <p><b>A</b> Blatiui constructio 179  <i>cum prepositionibus</i>          105. 106. 119. 127-          179  <i>verbis copia et inopia</i> 187  <i>gerundiis</i> 196  <i>supinis</i> 197          Abundantia 29          Accentus 343. 372          Accusatiui constructio 167  <i>cum prepositionibus</i> 104.          106. 110. 125. 168  <i>verbo rogandi, docendi,</i>  <i>monendi</i> 171  <i>verbo actiuo</i> 172  <i>particulis</i> 176  <i>infinitiuo</i> 177. 208  <i>gerundio</i> 194  <i>supino</i> 195          Actiuum genus 52          Adfinis, similis, proprius <i>cum</i>  <i>genitiuo et datiuo</i> 148          Adiectiuum 4          Adiectiua pronomina 131  <i>copia et inopia</i> 147          Adiectiuorum terminationes          33  <i>comparatio</i> 35  <i>neutrius generis constru-</i>  <i>ctio</i> 150          Aduerbia 98  <i>numeralia</i> 44  <i>copia et inopia</i> 157  <i>comparatiua</i> 191</p>	<p style="text-align: center;">Aio 90</p> <p>Allceosis 213          Amo 56          Amplius 191          Analogia 344          Anastrophe 213          Anomala nominalia 27  <i>verbalia</i> 83          Antimeria 213          Aphæresis 362          Apocope 362          Appellationes carminum 359          Appositio 132. 141. 213          Archaismus 214          Articulus der, die, das 7          Audio 68          Aue 92          Ausim <i>ibid.</i></p> <p style="text-align: center;">B.</p> <p>Belli et militiae 185</p> <p style="text-align: center;">C.</p> <p>Cæsura 353          Calendarium romanum 369.          370          Cardinalia 39          Carminum genera 353  <i>appellationes</i> 359          Casus recti et obliqui 6. 7          Cedo 92          Cœpi 90, 91          Collectiuum nomen 149          Commune genus 5. 23          Comparatiui adiectiuorum          35  <i>constructio</i> 148. 149          Com-</p>
---	--